

Psalmus responsorius

Ps 117, 2-4. 13-15. 22-24 (R̄: 1)

R̄. Confitémini Dómino quóniam bonus,
quóniam in sáeculum misericórdia eius.

vel:

Allelúia

² Dicat nunc Israel, quóniam bonus,
quóniam in sáeculum misericórdia eius.

³ Dicat nunc domus Aaron,
quóniam in sáeculum misericórdia eius.

⁴ Dicant nunc, qui timent Dóminum,
quóniam in sáeculum misericórdia eius. R̄.

¹³ Impelléntes impulérunt me, ut cáderem,
et Dóminus adiúvit me.

¹⁴ Fortitúdo mea et laus mea Dóminus
et factus est mihi in salútem.

¹⁵ Vox iubilatiónis et salútis
in tabernáculis iustórum. R̄.

²² Lápídem, quem reprobavérunt ædificántes,
hic factus est in caput ánguli;

²³ a Dómino factum est istud
et est mirábile in óculis nostris.

²⁴ Hæc est dies, quam fecit Dóminus:
exsultémus et lætémur in ea. R̄.